

*NvK an B. und Kapitel von Meißen. Er mahnt sie zur Ausführung seiner Dekrete, bittet sie um Förderung der von ihm entsandten Visitatoren und Reformatoren und um deren Empfehlung bei Hg. Friedrich.*

*Kop. (15. Jh.): WOLFENBÜTTEL, Herzog-August-Bibl., Cod. 264 Helmst. f. 66r. Zur Hs. s.o. Nr. 1390.*

Reverende pater in Christo et domine episcope ac vos venerabiles domini de capitulo Misnensi.

Commiseram alias cuidam, ut decreta, que edidi in diversis locis, ad vos eciam deferret aut saltim remo domino episcopo Magdeburgensi vobis mittenda presentaret. Quod sic factum intelligo esse. Unde cum nostro nomine vobis presentata sint per dominum archiepiscopum aut alium, velitis, rogo, ipsa execucioni demandare. Et quia constituimus nonnullos visitatores et reformatores religiosorum, rogamus illos recipi et foveri et per vos apud illustrissimum dominum ducem Fridericu fieri recommisos, ut possint suum reformacionis officium intrepide exequi. Oracionibus vestris nos recommendamus. Ex Maguncia iii<sup>a</sup> decembris anno etc. I<sup>mo</sup> primo.

Filius vester N. cardinalis sancti Petri apostolice sedis legatus manu propria.

Re<sup>do</sup> in Christo patri ac venerabilibus viris episcopo et capitulo ecclesie Misnensis amicis nostris carissimis.

4 episcopo wohl zu verbessern in archiepiscopo 12-13 Außenadresse.

*NvK an den Eb. von Mainz. Auf Bitte von Abt und Konvent des Benediktinerklosters Johannisberg im Rheingau beauftragt er ihn mit der Einverleibung der Nonnenklause<sup>1)</sup> in das Kloster.*

*Or., Perg. (S): WÜRZBURG, StA, Mainzer Urkunden, Geistl. Schrank 6/84 d. Auf der Plika: H. Pomer.*

*Kop. (1452 III 24/25 als Insert im Vollzug der Einverleibung Nr. 2433): WÜRZBURG, StA, Mainzer Urkunden, Geistl. Schrank 6/84 b, g und h.*

Cum ex iniuncto nobis legacionis officio cunctis prodesse teneamur, ad ea libencius vigilancie nostre studia dirigimus, per que animarum saluti et morum reformacioni ac leve iugum domini portantibus necessitatibus utilius valeat provideri. Sane pro parte venerabilis abbatis et conventus monasterii sancti Iohannis in Ringauvia ordinis sancti Benedicti vestre diocesis nobis oblata peticio continet, quod licet nuper ipsi abbas, prior et conventus vitam regularis observancie incepert eamque ex intimis desideriis cupiant continuare, redditus tamen et proventus eorum monasterii, quod eciam de presenti plurimorum gravatur onere debitorum, tam debiles sunt et exiles, quod fratres eiusdem inde non valeant sustentari et, nisi aliunde ipsi monasterio pie succrratur, persone religiose in eodem existentes ab ipso monasterio propter inopiam recedere cogentur. Et sicut eadem peticio continet, si monasterium quoddam dicti ordinis Clusen nominatum iam actu sub cura abbatis prefati monasterii Montis sancti Iohannis existens et in quo hactenus moniales esse consueverunt et sunt, que usque modo ad regularis vite observanciam induci non potuerunt, que eciam, si amplius ibidem remanere sic deberent, reformacioni iam in ipso monasterio Montis sancti Iohannis laudabiliter incepit non modicum prestarent impedimentum, eidem monasterio Montis sancti Iohannis cum duabus beneficiis ecclesiasticis ad dictum monasterium in Clusen spectantibus ac secularibus presbiteris conferri consuetis incorporaretur, plurimum ex hoc idem monasterium Montis sancti Iohannis reci-